

Utinam dirumperes caelos et descenderes!

Lectio libri Isaiae prophetae

63, 16b-17. 19b; 64, 2b-7

^{16b} **T**u, Domine, pater noster, redemptor noster:
a saeculo nomen tuum.

¹⁷ Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis,
indurasti cor nostrum, ne timeremus te?
Converte propter servos tuos,
tribus hereditatis tuae.

[18-19a]

^{19b} Utinam dirumperes caelos et descenderes!
A facie tua montes defluerent.

[64, 1-2a]

^{2b} Descendisti, et a facie tua montes defluerunt.

³ A saeculo non audierunt, neque aures percepérunt;
oculus non vidit Deum, absque te,
qui operaretur pro sperantibus in eum.

⁴ Occurris laetanti, facienti iustitiam
et his, qui in viis tuis recordantur tui.
Ecce tu iratus es, et peccavimus;
in ipsis a saeculo nos salvabimur.

⁵ Et facti sumus ut immundus omnes nos,
et quasi pannus inquinatus universae iustitiae nostrae;
et marcimus quasi folium universi,
et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos.

⁶ Non est qui invocet nomen tuum,
qui consurgat et adhaereat tibi,
quia abscondisti faciem tuam a nobis
et dissolvisti nos in manu iniquitatis nostrae.

⁷ Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum;
et fitor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.

Verbum Domini.